

DIADELPHIA DECANDRIA. 197

Medicamento hoc rustici ut plurimum uti solent. BOERHAAVE, DALE.

CORONILLA EMERUS: fruticosa; pedunculis subtrifloris; corollarum unguibus calyce triplo longioribus; caule angulato.

Folia olim officinalia erant. Vulgus hæc foliis Sennæ substituit, ut scribit RUPPIUS. Fœminæ medicastræ vocant Senesblätter, & utuntur his loco foliorum Sennæ: BUXBAUMIUS, DALE.

PSORALIA BITUMINOSA: foliis omnibus ternatis; foliolis lanceolatis; petiolis lævibus; floribus capitatis. Suffruticosa.

Radix, folia, semen, officinas Pharmaceuticas intrant. Urinæ difficultati, Comitibus, Hydropicis, fœminisque affectibus auxiliantur. Radix alexipharmaca est. DIOSC. DALE.

POLYADELPHIA

POLYANDRIA.

HYPERICUM ANDROSÆNUM: floribus trigynis; fructibus baccatis; caule fruticoso, ancipiti.

Folia, flores, semen, planta officinis largitur, partium tenuium Diuresin ciet, ac præcipue in lumbricis fugandis eminent: DALE.

HYPERICUM QUADRANGULUM: floribus trigynis; caule quadrato, herbaceo.

198 POLYADELPHIA POLYANDRIA.

Herba, flores, semen, in officinis afferantur: Herba, & flores ejusdem cum præcedenti sunt usus: LOBEL. Semen ad Ischiaticos affectus utile est; biliosa per alvum purgat. DIOSC. DALE.

HYPERICUM PERFORATUM: floribus trigynis; caule ancipiti; foliis obtusis, pellucido punctatis. Antheræ puncto atro. Stigmata sanguinea.

Herba, flores, semen officinalia sunt, & viribus cum Hyperico Androsæmo omnino conveniunt: DALE. Hippocrates Hypericum abstergendi, & apperendi ergo adhibebat. Dari quoque interne tam vulnerario scopo, quam aperiente; & hinc Melancholicis commendari, asserit SPIELMANNUS. Galeno ad consolidanda Vulnera, & Ulcera laudabatur.

HYPERICUM CORIS: floribus trigynis; calycibus ferrato-glandulosis; foliis subverticillatis.

Semina officinas intrant; urinam mensaque cient: teste DIOSC. DALE.

S Y N G E N E S I A

P O L Y G A M I A

A E Q U A L I S.

LACTUCA SCARIOLA: foliis verticalibus; carina aculeatis. Folia inferiora runcinata, obliqua, seu verticalia; caulina superiora,

am-